7. *An ſanctorum communio ſit tantum inter viuos?* N. Nam viuentes inter ſe cõmunia habent ea, quæ pertinent ad juſtificationem & ſanctificationem: & mortui inter ſe communia habent ea, quæ pertinẽt ad glorificationem. Vtrique autem, viuentes inquam & mortui, habent vnum caput, Ieſum Chriſtum. & mortui pro viuentibus orant, nempe in genere.

. *An ſancti ſua merita nobis communicent?* N. Nulla ſiquidem habent. Et meritum Chriſti nobis abunde ſufficit.

9. *An ſancti intercedant pro nobis fiducia ſuorum meritorum?* Statuitur theſis negatiua ex deciſione præcedentis quæſtionis.

10. *Vnde certi ſimus, nos eſſe conſortes communionis ſanctorum?* Ex fide, ſympathia Chriſtiana, communione crucis, &c.

11. *An Chriſtus habeat aliquid nobiſcum commune?* Sic eſt. Nam in ſtatu exinanitionis infirmitates noſtras expertus eſt, & peccatum noſtrum bajulauit: jam vero in ſtatu exaltationis crucem noſtram ducit ſuam, juxta illud; *Saul Saul, quid me perſequeris.*

12. *An impij habeant aliquid commune cum Chriſto?* A. Nam Chriſtus eſt frater ipſorum ſecundum carnem. At hæc communio ipſis nihil prodeſt.

13. *An*